


a f. Sed cum prima tria data sint: quartum notum erit quod querebat. ¶ Si autem contingeret quod in vna statione secaretur latus d c: & in altera b c, quod fiet: dum in statione viciniore distantia inter te & basim minor est altitudine rei: & tunc quidem secatur latus b c. & in statione distantiori distantia inter te & basim maior est altitudine rei: & tunc secatur latus d c. In tali casu oportebit partes quas secat a e. in vna statione redigi ad numerum partium eiusdem rationis cum partibus quas secat in altera statione:

id fiet: dum per numerum partium quas secat a e. in distantiori statione diuiseris. 1200. in se multiplicata: quae faciunt. 1440000. tunc numerus quotiens erit numerus partium eiusdem rationis cum numero partium: quas in viciniore statione secat a e. harum partium eiusdem rationis differentiam serua pro numero primo: & p secundo tene numerum maiorem earum partium: & p tertio distantiam inter ambas stationes. duc tertium per secundum: & diuide per primum: exhibit distantia a f. quae sita. Exemplum. in statione viciniore sit numerus partium lateris recti. 1100. in statione altera sit numerus partium lateris versi. 1000. per quem diuido. 1440000. proueniet. 1440. etiam partes lateris recti. Horum differentia ad. 1100. est. 340. primus numerus: secundus est. 1440. ¶ Tertius: distantia stationum: & sit. 85. cubiti: multiplico secundum in tertium: & diuido per primum: exeunt. 360. cubiti: distantia a f. quae sita. ¶ Demonstratio in distantiori: secetur latus d c. in n. continueturque b c. in occursum cum a g. in m. quia d n. ad d a. vt a b. ad b m. sed d a. in a b. facit. 1440000. igitur his diuisis p d n. exhibit b m. notum. Iam procedet ratiocinatio sicut in praecedenti demonstratione: quod o b. ad a a f. vt m b. ad a f. Inde m o. ad m b. sicut a a a. ad a. f. quod intendebat.



### Propositio Quarta.

Quod praecedens proponit aliter inquirere.

Quoniam vero non possis tantum plani habere: ut illud tibi pro duabus stationibus sufficiat. Fige hastam longitudinis. 10. vel. 12. cubitorum in plano quo stas orthogonaliter. Cui applicabis gnomonem tuum primo in parte inferiori. Deinde in parte superiori: ita ut latus d c. sit versus altitudinem meciendam: & oculus cum a. in parte inferiori: & visa summitate rei per ambo foramina regulae: notabis partes quas regula abscindit in utraque applicatione: seceturque primo utrobique latus d c. versus. Notabis etiam spacium haste: quod est inter loca d. gnomonis in utraque applicatione: & illud spacium sit tibi numerus tertius. Et aufer numerum partium minorem a maiore: residuum sit numerus primus. Secundus autem sit. 1200. scilicet latus b c. duc secundum